

Orémus.

Dómine Deus omnípotens, qui Móysen fámulum tuum, ornáménta et linteámina fácere per quadragínta dies docuísti: quæ étiam María téxuit, et fecit in usum ministérii, et tabernáculi fœderis; bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris hæc linteámina ad tegéndum, involvendúmque Altáre gloriosíssimi Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit, etc. **R.** Amen.

Deinde adspergat aqua benedicta.

CAPUT 22.

Benedictio Corporalium.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Clementíssime Dómine, cujus inenarrábilis est virtus, cujus mystéria arcánis mirábilibus celebrántur: tríbue, quæsumus; ut hoc linteámen tuæ propitiatiónis bene ✠ dictione sanctificétur ad consecrándum super illud corpus et sánguinem Dei, et Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui: Qui tecum vivit et regnat, etc. **R.** Amen.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris linteámen istud ad tegéndum, involvendúmque corpus et sánguinem Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui: Qui tecum vivit et regnat, etc. **R.** Amen.

Orémus.

Omnípotens Deus, mánibus nostris opem tuæ benedictiόνis infúnde: ut per nostram bene ✠ dictionem hoc linteámen sanctificétur, et córporis

ac sánguinis Redemptóris nostri novum sudárium, Spírítus sancti grátia efficiátur. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spírítus sancti Deus, per ómnia sácula sæculórum.

R. Amen. Et adspergat aqua benedicta.

CAPUT 23.

Benedictio Tabernaculi
seu Vasculi pro sacrosancta Eucharistia
conservanda.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices deprecámur: ut vásculum hoc pro córpore Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi in eo condéndo fabricátum, bene ✠ dictionis tuæ grátia dicáre dignéris. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum etc. **R.** Amen.

Et adspergit illud aqua benedicta.

CAPUT 24.

Benedictio novæ Crucis.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

V. Dómine, exáudi oratióne meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Rogámus te, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: ut dignéris bene ✠ dícere hoc signum crucis tuæ, ut sit remédium salutáre géneri

humano; sit solíditas fidei, profectus bonórum óperum, redemptio animárum; sit solámen, et protectio, ac tutéla contra sæva jácula inimicórum. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Alia Oratio ad idem.

Béne ✠ dic, Dómine Jesu Christe, hanc crucem tuam, per quam eripuísti mundum a potestáte dáemonum, et superásti passióne tua suggestórem peccáti, qui gaudébat in prævaricatióne primi hóminis per ligni vétiti sumptiónem. *Hic adspergat aqua benedicta.* Sanctificétur hoc signum crucis in nómine Patris, ✠ et Fílii ✠ et Spíritus ✠ sancti; ut orántes, inclinántesque se propter Dóminum ante istam crucem, invéniant córporis et ánimæ sanitátem. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

2. Postea Sacerdos genuflexus ante crucem devote adorat, et osculatur, et idem faciunt quicumque voluerint.

CAPUT 25.

Benedictio Imaginum

Jesu Christi Domini nostri, beatæ Mariæ Virginis et aliorum Sanctorum.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
R. Qui fecit cœlum et terram.
V. Dóminus vobíscum.
R. Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Sanctórum tuórum imáginés (sive effígies) sculpi, aut pingi non réprobas, ut quóties illas óculis córporis intuémur, tóties eórum actus et sanctitátem ad imitándum memóriæ óculis meditémur: hanc, quæsumus, imáginem (seu sculptúram) in honórem et

memóriam unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi (vel beatíssimæ Vírginis Mariæ, matris Dómini nostri Jesu Christi, vel beáti N. Apóstoli tui, vel Mártiris, vel Confessóris, aut Pontíficis, aut Vírginis) adaptátam bene ✠ dícere, et sanctificáre dignéris: et præsta; ut quicumque coram illa unigénitum Fílium tuum (vel beatíssimam Vírginem, vel gloriósum Apóstolum, sive Mártirem, sive Confessórem, aut Vírginem) suppliciter cólere et honoráre studúerit, illius méritis et obténtu a te grátiam in præsentí, et ætérnam glóriam obtíneat in futúrum. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Ultimo adspergat aqua benedicta.

CAPUT 26.

RITUS BENEDICENDI ET IMPONENDI

PRIMARIUM LAPIDEM

PRO ECCLESIA ÆDIFICANDA

SERVANDUS A SACERDOTE FACULTATEM HABENTE
AB EPISCOPO.



cclesiam ex Episcopi auctoritate tantum, juxta sacrorum Canonum decreta, ædificari fas est. Si vero Sacerdos, ejus ædificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit.

2. Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse, vel alius Sacerdos. Sequenti vero die lapis in Ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus, et angularis, benedicatur hoc modo.

3. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis, sal et aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione, ut supra (pag. 206) et interim, dum cantatur a Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, adspergit locum, ubi crux posita est, cum aqua benedicta.

Antiphona. Signum salutis pone, Domine Jesu Christe, in loco isto: et non permittas introire angelum percutientem.

Psalms 83.



uam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: * Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: * in secula seculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * adscensiones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in vir-

tutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster adspice Deus: * et respice in faciem Christi tui:

Quia melior est dies una in atriis tuis, * super millia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulat in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri.

4. Finito Psalmo. Sacerdos versus ad locum per eum adspersum, dicit:

Orémus.

Domine Deus, qui licet celo et terra non capiaris, domum tuam dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc, quaesumus, beatae Mariae semper Virginis, et beati *N.* (nominando Sanctum vel Sanctam in cujus honorem ac nomen fundabitur Ecclesia), omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuae intuitu visita, et infusione gratiae tuae ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complexisti, in hoc opere desideria nostra perficere di-

gnéris, effugiantque omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti etc. *R.* Amen.

5. Postea stans benedicit primarium lapidem, dicens:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

V. Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes.

R. Hic factus est in caput anguli.

V. Tu es Petrus.

R. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

V. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

R. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.

Orémus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor, et imago aeterni Patris, et vita aeterna: qui es lapis angularis de monte sine manibus abscissus, et immutabile fundamentum: hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma; et tu, qui es principium et finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis, quaesumus, principium, et incrementum, et consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem et gloriam tui nominis inchoari. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula seculorum. *R.* Amen.

6. Tunc adspersit lapidem ipsum aqua benedicta, et accepto cultro, per singulas partes sculpsit in eo signum crucis, dicens:

In nomine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus ✠ sancti. *R.* Amen.

Quo facto dicit:

Orémus.

Benedic ✠ Dómine creatúram istam lápídis, et præsta per invocatióem sancti tui nóminis: ut quicumque ad hanc Ecclésiám ædificándam pure mente auxiliúm dederint, córporis sanitátem, et ánimæ medélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

7. Postea dicantur Litaníæ ordinariæ (pag. 97) sine Oratióibus in fine positis: quibus dictis, parato cæmento, et cæmentario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentiibus, Antiphonam:

Mane surgens Jacob, erigebat lapidem in titulum: fundens oleum desuper, votum vovit Dómino: Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Psalmus 126.

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboráverunt qui ædificáverunt eam.

Nisi Dóminus custodierit civitátem, * frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem dolóris.

Cum dederit diléctis suis somnum: * ecce hæreditas Dómini, filii: merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis: * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri.

8. Quo dicto, Sacerdos stans tangit, et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens:

In fide Jesu Christi collocámus lapidem istum primarium in hoc fundaménto, in nómine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spíritus ✠ sancti: ut vígeat vera fides hic, et timor Dei, fraternaque diléctio; et sit hic locus destinátus oratióni, et ad invocándum, et laudándum nomen ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

9. Interim cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento: postea Sacerdos spargit super lapidem aquam benedictam, dicens:

Adspérges me, Dómine, hyssópo, et mundabor: lavábis me, et super nivem dealbábor.

Psalmus. Miserere mei, Deus. (pag. 94), dicitur totus cum Glória Patri.

Quo dicto, Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: si vero non sunt aperta, circuit adspérgendo fundamenta Ecclesiæ designata. Et incipiens adspérgere, inchoat Antiphonam, Clero prosequente.

Antiphona. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Psalmus 86.

Fundaménta ejus in montibus sanctis: * diligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et princípum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitatio est in te.

Gloria Patri.

Antiphona. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

10. Interim adspérgendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata, et repetita Antiphona, stans dicit: **Orémus.**

Ministri. Flectámus génuá, R. Leváte.

Omnípotens, et miséricors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris grátiam contulisti, ut quidquid in tuo nómine digne, perfectéque ab eis ágitur, a te fieri credátur: quæsumus imménsam cleméntiam tuam; ut quidquid modo visitatúri sumus, vísites: et quidquid benedictúri sumus,

bene ✠ dicas: sitque ad nostræ humilitatis intró-
itum, Sanctórum tuórum méritis, fuga dáemonum,
Angeli pacis ingrèssus. Per Christum Dóminum
nostrum. **R.** Amen.

Deus, qui ex ómnium cohabitatióne Sanctórum
ætérnum majestáti tuæ condis habitáculum: da
ædificatióni tuæ increménta cœlestia; ut quod te
jubénte fundáture, te largiénte perficiáture. Per
Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

CAPUT 27.

RITUS BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM SEU ORATORIUM PUBLICUM

UT IBI SANCTISSIMUM MISSÆ SACRIFICIUM CELEBRARI
POSSIT.

Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea divinum sacrificium Missæ rite celebretur, stola ac pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus et Clericis adhibitis, prælata cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorii januam: ubi stans capite aperto, conversus ad eam dicit absolute Orationem:

Actiões nostras, quæsumus Dómine, adspirádo
præveni, et adjuvádo proséquere: ut cuncta
nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et
per te cœpta finiáture. Per Christum Dóminum
nostrum. **R.** Amen.

2. Deinde inchoat Antiphonam: Adspérges me, etc. et Clerus alternatim dicit Psalmum Miserére, etc. (pag. 94: in fine Glória Patri).

3. Interim circumdant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua et nuda, et pariter Altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit benedictio), et Sacerdos accepto adspérgillo ex herba hyssopi, ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiæ in superiori parte, et in fundamentis cum aqua benedicta adspérgit, dicens:

Adspérges me, Dómine, hyssópo, et mundá-
bor: lavábis me, et super nivem dealbábor.

4. Reversi ad locum, unde Processio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos stans ut prius versus Ecclesiam, dicit: **Orémus.**

Ministri: **Flectámus gēna. R.** Leváte.

Oratio.

Dómine Deus, qui licet cœlo et terra non capiáris, domum tamen dignáris habére in terris, ubi nomen tuum júgiter invocétur: locum hunc, quæsumus, beátæ Mariæ semper Vírginis, et beáti N., omniúmque Sanctórum intercedéntibus méritis, seréno pietátis tuæ intúitu vísitá, et per infusióne gratiæ tuæ ab omni inquinaméto purífica, purificátúmque consérva; et qui dilécti tui David devotióne in filii sui Salomónis ópere complevísti, in hoc ópere desidéria nostra perfícere dignéris, effugiántque omnes hinc nequítiae spirituáles. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti etc. **R.** Amen.

5. Qua finita Oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes, ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes (pag. 97).

6. Ubi dictum fuerit: **Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris: Te rogámus, audi nos.** surgit Sacerdos, et intelligibili voce dicit:

Ut hanc Ecclésiám, et Altáre ad honórem tuum, et nomen sancti tui N., purgáre, et benedícere dignéris: Te rogámus, audi nos.

Cum dicit, benedícere, manu dextera benedicit Ecclesiam, et Altare: deinde, ut prius, genuflectit donec perficiantur Litanie, et cantores prosequuntur:

Ut nos exaudíre dignéris, Te rogámus, audi nos.